



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118022**

§. 10. Guilielmus Parisiensis Abbas in Dania.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

Sæcul. XII. millesimo centesimo septuagesimo octa-  
A.C. 1177. vo ad Abbatiam Claravallensem se re-  
 cepit, sumtoque habitu Monastico, post  
 triennium, anno millesimo centesimo o-  
 ctogesimo primo, sancto fine quievit.

## §. X.

*Guilielmus Parisiensis Abbas in  
 Dania.*

*vit. ap. Boll.*  
*6. April. to.*  
*9. p. 625.*

*Sup. Lib.*  
*LXIX.*  
*§. 22.*

Aliquot abhinc annis Absolon Guiliel-  
 mum Canonicum Regularem S. Ge-  
 novæ Parisiis, ut hujus Congregatio-  
 nis Regulam inveheret, in Daniam ad-  
 vocaverat. Guilielmus sub annum mil-  
 lesimum centesimum quintum natus,  
 puerulus Monachis ad S. Germanum de  
 pratis traditur, ut educaretur sub cura  
 Hugonis Abbatis, patru sui, cujus ope-  
 ra deinde Præbendam in Ecclesia S. Ge-  
 novæ, in qua tunc Canonici Sæcula-  
 res ministrabant, obtinuit. Cum dein-  
 de auctoritate Eugenii Papæ anno mil-  
 lesimo centesimo quadragesimo septimo  
 hoc Monasterium reformatum fuit, ne-  
 mo Guilielmo ferventius Institutum Re-  
 gulare amplexus est. Inde Absoloni,  
 tunc Parisiis Minervæ vacanti, arcto a-  
 micitiæ fœdere junctus est. Quare  
 Absolon ad Ecclesiæ Roschildensis regi-  
 men admotus reperto in quadam Insula  
 Diœcesis suæ, vulgo *Eschil*, Canonico-  
 rum,

rum, vitæ infamia laborantium mona-  
 stero, in quo præter nomen nihil Regu-  
 lare erat, animo constituit ibidem Gui-  
 lielmum S. Genovevæ Abbatem præfi-  
 cere & Regulæ rigorem introducere.

Itaque misit in Franciam Saxonem,  
 Ecclesiæ suæ Præpositum, cognomento  
 Grammaticum, qui Historiam Daniæ  
 scripsit stilo eleganti, ac dictione latina  
 supra barbariem sæculi sui longe eleva-  
 to. Is ubi Parisios pervenit, Abbati  
 S. Genovevæ Absolonis Episcopi reddi-  
 dit literas, in quibus enixe rogabat, ut  
 Guilielmum cum tribus aliis viris Reli-  
 giosis ad se dirigeret. Annuit ejus pe-  
 titioni Abbas, consentiente Capitulo,  
 anno, ut conjicere est, millesimo cente-  
 simo septuagesimo primo. In Daniam  
 advenientes piissimo affectu complexus  
 est Waldemarus Rex, atque Absolon E-  
 piscopus, qui paucos post dies Guiliel-  
 mum in Insula *Eschil* Abbatem eligi cu-  
 ravit. Verum tam arduum erat nego-  
 tium, in illo loco novam Congregatio-  
 nem condere, ut tres ejus focii, cum nec  
 paupertatis nec frigoris sub isto climate  
 rigorem tolerare possent, de successu  
 desperantes in Franciam viam relegerint.  
 Guilielmus quoque reditum cogitabat;  
 sed ab Episcopo permotus, tandem insi-  
 gni patientia & perseverantia Discipli-  
 nam Regularem in illo Monasterio, at-

Sæcul. XII.

A.C. 1177.

vid. Papeb.  
 comm. præv.  
 n. 20.

Sæcul. XII.  
A.C. 1177.

Mart. Rom.  
6. Apr.

que etiam in alio, S. Thomæ sacro, quod in vicinia fundaverat, stabilivit, & postquam Abbas fuit annis triginta, e vita excessit, annos natus octoginta octo, anno salutis millesimo ducentesimo secundo, die mensis Aprilis sexta, qua eum Ecclesia Sanctorum Catalogo adscriptum colit.

§. XI.

*Petrus Cardinalis S. Chryfogni Legatus in Francia.*

Anno millesimo centesimo septuagesimo sexto Alexander Papa Legatum in Franciam miserat Petrum Cardinalem Presbyterum, Tituli S. Chryfogni, olim Episcopum Meldensem electum, qui diu illius Ecclesiæ reditus sibi servavit. Tempus hujus Legationis cognoscitur ex Epistola Papæ, ad Archiepiscopos Lugdunensem, & Bituricensem, eorumque Suffraganeos, Ferentini duodecima die Aprilis, data. Unde infertur, quod scripta fuerit ante profectionem Pontificis in Longobardiam. Præcipit autem his Præsulibus, ut ei tanquam Legato Sacræ Sedis obediant. Iterumque id cognoscitur ex alia Epistola in eadem causa ad omnes Francos Anagninæ die vigesima secunda ejusdem mensis data. Pontifex Ferrariæ commorans, pacis fœdera cum

Impe-

to. 10. Conc.

p. 1492.

ep. 9. *ibid.*

ep. 10.

ep. 8.